

nisi in extremo vitæ actu, hunc præcipuè sapientes sunt intuiti, & ex illo de vitæ reliquæ summa liberè & tanquam in Areopago sententiam dixerunt. Si aliquem repererunt qui in hac humana militia, ut *εἰς ἀσπίδος ἢ λεπτὸν τὰντες* argui poterat, illum stigmatè notarunt, & cum solemni Hebræorum dicto *מוֹשֶׁבֶת קִרְיָא* *putrescat nomen ejus*, terræ mandarunt. Si quis verò non inglorius mundi incolæ vixisset, sibi que rectè factis decus & famam acquisivisset sive domi sive militiae, sive in toga sive in fago, cujus proinde vita publicè privatim utilis fuisset, & qui patriæ parentibus amicis natus esset, illius memoria sacra fuit, commemoratio frequens, qua talem virum mori prohibebant. Hinc Nœniæ Græcorum & carmen *ἰάλαμον* quo apud coronati defuncti laudes recensebant, hinc tot funebres orationes apud Romanos ab ea tempestate quâ primùm P. Valerius Publicola in funere Junij Bruti collegæ posteritati suæ pietatis exemplum dedit.

Quod nos attinet, qui in Christi disciplinam nos dedimus, non decet tantùm irretortis oculis perpetuò contemplari fatalem metam, quæ singulis momentis nobis instat, & quam non licet effugere, ut ad illam, quando cunque supremo Agonothetæ visum fuerit, semper in procinctu simus, sed & aliorum præsertim illorum, quos virtus & fama vulgo exemerunt, exitus penitus inspicere, ultimosque labores recensendi & ex illis vitæ antea actæ curriculum describendi occasionem aucuparè.

Quæ cogitatio quoque ab eo tempore me maximè exercuit, quo visum fuit Deo Virum Reverendum D. JOH. HENRICUM HUMELIUM Ecclesiæ Bernensis Pastorem & Decanum, ad metam illam fatalem
duce-